



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Alberti Brandenburgici crudelitas, clades & mors, ut & Mauritij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

nandum Regem, ceterosque Principes ac Ordines antiquæ religioni coniunctos, tam sacros quam ciuiles, erga ceteros omnes Ecclesiastici status, eorumque collegia, quacumque tandem illi migrarint habitandi causa, modo ut recte procurentur ministeria, &c. His omnibus & religionem suam & ceremonias, & leges, & possessiones, & vestigia ceteraque iura libera permittant, nec ullaratione impediunt, quo minus illis pacate utantur fruantur: & quidquid erit offensionis atque litis, more ac legibus Imperij definiatur ubique. Quin non sunt alterius religionis, hac in pace non comprehendantur. Hactenus Decretum. Ad historiam redeamus.

Imperator Metis tam subtiliter à Gallorum rege sibi & Imperio ereptæ, recuperandæ cupidus, Alberto Brandeburgico, qui non sine prodicionis crimine à Rege ad Cæsarem transierat, in gratiam recepto, urbem obsedit; sed à magno illo Francisco Guisiano Duce fortiter repulsus, tandem obsidionem soluit. Quid vero iuris in Metim, Tullum & Virodunum vrbes antiquitas ad Galliæ regnum pertinentes, reges nostri habeant, alio loco exponam.

VI. Albertus domum reuersus, nouis collectis copijs, Episcopos VVirciburgensem & Bambergensem, vt & alios, miserum in modum vexauit; omnibusque quacumque ierar, direptis, dignas eo quod introducere volebat Euangelio, crudelitates exercuit, immensa pecunia tam Episcopis quam ciuitatibus multatis. Vnum eius inprimis crudele memoratur facinus, quod nimirum quum duobus oppidulis magnum rusticanorum hominum numerum inclusisset, vnâ cum iumentis & pecudibus, subiecto igne omnes concremarit; & audiens bouum mugitum & hominum, inter quos non pauca erant mulieres grauidæ, complures infantes, eiulatum, miseris tamquam alter Nero non sine risu illuserit. Eundem autem nouis excogitatis supplicijs, sacerdotes ceruorum pellibus infutos, canibus dilaniandos obiecit.

Atque hæc Alberti scintilla nouum in Germania bellum Anno sequenti conflagauit. Nam cum Albertus Episcopis ablata oppida, ad quæ sibi resignanda iniquissime eos adegerat, rescisso per Cæsarem irritò cōtractu nollet reddere, & Camera Spiræ iudicium pro Episcoporum iure pronuntiaflet, nec vilo modo ab iniuria Imperio & membris inferenda auerti posset, sœdus inter Mauritium, Mogunt. Herbipol. Bauarum, VVirtenbergium, & Henricum Brunswic. Palatinum, ac Ferdinandum

Regem initum est, quorum exercitus comparati, aduersus refractarium processerunt. Producto vtrimque exercitu, duo illi hæreseos propugnatores, qui arma paullo ante contra Cæsarem & Concilium Tridentinum coniunxerant Dei iusto iudicio anno vertente diuisi, alter de altero Læsa Maiestatis diuinæ & humanæ pœnas sumpturi in festis armis concurrunt, atque inter se collisi, suis ipsos se viribus euertunt, aspero admodum & cruento commisso prælio, in quo Mauritius victor, eodem die 9 Iulij fortunam & matrem & nouercam expertus, lethali accepto vulnere, paullo post decessit. Prælium hoc multa præcesserunt prodigia. Inter alia sanguineæ guttæ in folijs arborum hærentes visæ dicuntur. Horum duorum Principum concursus Cæsaris rebus non parum profuit, & inprimis mors Mauritij, qui noua cum Galliæ rege tunc agitata consilia ferebatur. Hoc vero prælio Alberti vires ita fractæ fuerunt vt vix quidquam deinde memorabile perficere potuerit. Nec diu post ab Henrico quoque Duce Brunswicensi cladem accepit. Tandem ab Imperatore proscriptus, ad Galliæ regem confugit: cui ille, tamquam Principi afflicto & supplici, ius hoc hospitalitatis non denegauit. Quum vero Albertus, cuius causa Galliæ rebus clades non modica à Carolo in Belgis inferebatur, plerisque in aula parum se gratum esse animaduerteret, in Germaniam reuersus, veneno tamquam publicus hostis, extinctus fereur Anno 1557. At qui sub ipso militabant duces ac præfecti, iam diu rapinis & flagitijs assueti, Grombachio antesignano, vt Alberti mortem vlciscerentur, VVirzburgum oppidum insidijs interceperunt, & occiso Episcopo sacra & prophana diripuerunt. Sic mors quoque Alberti multas miseras & calamitates inuexit: quamuis scelus hoc auctoribus non diu fuerit impune. Grombachius enim cum quibusdam complicitibus, capta Gotha comprehensus & carnifici traditus, funestum habuit exitum: vt cui uiventi adhuc venter apertus, & cor extractum, eoque ita cruento os obueiberatum fuit, corpore deinde in quatuor partes dissecto suspensus. Hoc modo turbis illis Alberto profligato & eiccto, Mauritioque interfecto compositis, Ferdinandus absentis in Belgio & contra Gallos in Artesia occupati Imperatoris vices agens Augustæ comitia celebrauit; in quibus post multam disceptationem quum nullus controuersiarum exitus reperiretur, con-

clusum fuit, pacem utriusque tam ipsi qui Nouam & Augustinam Confessionem quam veterem & Catholicam sequuntur religionem, concedendam, & proxime Rationem alium Imperij consentum habendum, ac Pontificem rogandum esse, ut Concilium contineretur. Erat istum Paullus IV. Iulio enim III. mortuo, Marcellus successerat: quo intra XXII. diem extincto, Paullus IV. ad Pontificatum fuit euectus. Sed quid? An rem ab instituto meo alienam cuiquam facere videbor, si admirabilem Marcelli electionem hoc locopaucis verbis exponam? Non sane faciam, ut tam memorabilis historiarum, de qua Sleidani & aliorum altum est silentium, notitia posteritatem defraudem. Quare eam uti in Sanctissimæ Virginis Lauretanæ miraculis descripta existat, recensebo, ut hæretici, qui s. sedem allatitarent nunquam cessant, vigilem inde Dei super Ecclesiæ super militantis Vicarijs curam dicant & agnoscant; Ea vero sic loquitur historia:

VII. Hæc inter Marcellus Cervinus Cardinalis, vir doctrina pariter & sanctitate clarus, in oppido Lauretana domus satis vicino (montem Fanum appellant) domicilium statuerat. Suum id natale solum ferebat, reuerentia locum interuifenda natali B. Virginis Cella peropportunitate elegerat. Indo Lauretanum incenso studio uentitabat, in augustissimo orbis sacello sacru operaturus. Itaque sub Iulij III. Pontificis decessum Marcello inibi rem diuinam de more facientis, res euenit visu euentuque mirabilis. Eximio candore ac specie columba, multis inspectantibus, supra eius caput, quum placide uolitasset, nunc in ipso Missali libro requiescebat. Ea res obiecta oculis adstantium plerosque animis immobiles stupore defixit. Sacerdos qui de more Cardinalis sacrificanti preste erat, vulgarem aliquam columbam eodote delapsam ratus abigere eam conabatur. At Cardinalis haud parum memor candida Columba indicio diuinitus olim designatos nonnumquam esse Pontifices, inibet abigentem; ipse caelestem columbam quiescere finit, quoad sacrificio peracto, sua sponte auolaret. Exinde caeleste vi-

sum homini affirmat fidem. Nuncio de morte Pontificis Marcellus Romam reuocatus, non suscipuit uia prius & comitibus committere sese, quam veteri suo instituto Lauretanam virginem salutasset. Et aderat dies annuntiatae Virginis sacer, qui cetero qui pius eius animum inuitabat. Venit ergo pridie Lauretanum. Festo ipso die, exclusa incondita turba, sacrum in augustissima cella face-re attentissima capis. Inter sacrificandum post initium Canonis, Ecclesiam Pontifice orbam memorans, Deo ac B. Virgini enixius commendabat. Effusa precanti B. Maria caelesti specie, calitum septa comitatu se offert, animoque eius Diuina luce ac dulcedine delibuto, ipsum fore Pontificem indicat: extemplo attonita mentis oculis subducit se. Marcello tam noua rei ac subita admiratio tantum repente animi corporisque totius incussit horrorem, ut ad aram trepidans pedibus egre subsisteret. Sensit sacerdos eius admissit, aliquid profecto Cardinali obiectum diuinitus, utique quum eius faciem conspiceret insolito quodam splendore fulgentem; mox etiam notaret totum eius corpus noua circumdatum luce. Ergo quod ipse uiderat, deinde quum alijs multis, tum Raphaeli Riera qui rem literis prodidit pro familiaritate narrauit. Quin etiam Cardinalis ipse necessarium, qui spectaculo adsuerant, precibus fatigatus, annunciat denique totam rem, ut gesta erat, ac simul adiecit, Tantum utique Pontificis munus longe altius esse fastigio suo, ac propterea Deum forsasse alium sibi Vicarium quasturum.

Huius ego apparitionis historia librum hunc ut finiam, non inconueniens puto, ut quæ non minus posteritatis memoria quam admiratione digna sit. Quæ postea euenierint, libro V. explicata videbis. Nunc cum Sleidano finem Germanicæ rebus imponam: sequenti libro quæ circareligionem in vicinis ei, vel potius ad eam pertinentibus regionibus eueniunt exponaturus.

FINIS LIBRI TERTII.



FLORIS